

DISSERTATIO IURIDICA INAUGURALIS,

140

QVA

1750, 7

26

QVAESTIO EXCVTITVR:

AN LICEAT
OBSIGNARE
IN ALIENO TERRITORIO
RES HEREDITARIAS?

QVAM

IN PERANTIQA ACADEMIA ERFORDIENSI
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
CONSENSV

PRO

GRADV DOCTORIS

D. XXII. DECEMBR. A. 1750.

SINE PRAESIDE

DEFENDET

A V C T O R

EVSEBIVS ERNESTVS STIELERVS,

Erfurtensis,

DIRECT. GYMNAS. SENAT. ADJVNCTVS.

ERFORDIAE

TYPIS IOANNIS CHRISTOPHORI HERINGII

ACAD. TYPOGR.



17

DISSERTATIO

ANALYSIS
IN ALIQUO
RES

IN PRIMA
A

GRADU

SINE

EXERCI
STILLERVS

DIRECTOR

RECTOR

TISSIO
ACADEMIA



A SON EXCELLENCE,
MONSEIGNEUR
ANSELME
FRANCOIS
ERNEST
BARON
DE WARSBERG,

GRAND-PREVOT DE LA CATHEDRA-
LE DE SPIRE, ARCHIDIACRE DE LA
METROPOLITAINE DE TREVES, CHA-
NOINE CAPITVLAIRE DE CELLE DE
MAYENCE, CONSEILLER INTIME DE
S. A. E. DE MAYENCE ET SON STATT-
HALDRE DE LA VILLE ET PAIS
D'ERFURT ETC. ETC.

MONSIEUR,

MONSIEUR

ANSELME

FRANÇOIS

ÉRNEST

BARON

DE WARSBERG



Donner le frontispice de son ouvrage de quelque illustre nom d'un grand Seigneur, est une audace que l'impunité a rendu bien commune aujourd'hui.

L'on ne regarde plus à la valeur de ce qu'on offre & le nom le plus respectable se trouve souvent profané à la tête d'une piece frivole & meprisable. C'est le sort de toutes les choses humaines, qu'elles changent de nature & deviennent abominables par l'abus. Mais l'impudence de quelques Auteurs peu sensés

senſes autoriferoit-elle l'abolition totale d'un uſage,
que les gens de lettres mettent à profit pour re-
moigner publiquement le zèle & la reconnoiſſance,
dont ils ſont animés envers celui à qui ils adreſ-
ſent leurs ouvrages? C'eſt là, MONSEIGNEUR
l'unique motif, qui m'enhardit à dedier à VOTRE
EXCELLENCE les prémices de mes travaux.
Je ſais, MONSEIGNEUR, combien elles ſont
indignes de paroître ſous Vos auſpices; mais des
mouvements de Reſpect me ſont paſſer par deſſus
toute autre conſideration. Me tairois-je ſeul, quand
tout le monde s'empreſſe de rendre à VOTRE
EXCELLENCE les hommages que Ses grands
merites exigent. Une ſage prevoiance, une juſtice
ſans rigueur, une clemence diſpenſée avec diſcerne-
ment, des ſoins infatigables pour le bien public &
une connoiſſance profonde de tout ce qui y peut
contribuer, ſont des talents & des vertus, dont le
Ciel propice à notre patrie L'a rendu depoſitaire
pour faire le bonheur de ceux, qu'un doux deſtin
a rangé ſous Son Gouvernement. Mais la voix
publique me diſpenſe de m'étendre ſur un ſujet,
dont le détail pourroit bleſſer la Modestie qui VOUS
eſt ſi naturelle, MONSEIGNEUR, & que par
un rare merite VOUS conſervés parmi l'eclat d'u-
ne ſi haute Naiſſance & d'un Poſte ſi eminent.
Qu'il

Qu'il me soit permis, d'ajouter seulement le tribut de ma reconnoissance pour tant de graces & de fa-
veurs, que VOTRE EXCELLENCE a daigné
repandre sur moi en particulier & que je regarde
comme autant d'engagemens, qui m'obligent à ad-
dresser sans cesse à Dieu des vœux ardens, pour en
obtenir pour VOTRE EXCELLENCE toutes
les prosperités imaginables, & la conservation d'une
vie, qu'ELLE consacre si genereusement au bien
de l'Etat & à la felicité d'une infinité de Personnes.
En me recommandant à Sa precieuse bienveillance
& Protection, j'ai l'honneur de me dire avec un
profond respect

MONSEIGNEUR,

DE VOTRE EXCELLENCE

*le tres humble, tres obeissant & tres
devoü serviteur,*

EUSEBE ERNEST STIELER.





SECTIO I.

§. I.



Simulac quis oculos claudit, praxis quoti-^{Institutum}
diana testatur, ejus res relictas mobiles a
judice, cujus defunctus jurisdictioni fuit
subjectus, sine interposita mora advolan-
te obsignari, quando heredes vel incerti,
vel absentes, vel pupilli, vel plures credi-
tores adsunt, aut adesse præsumuntur: Immo in ædi-
bus morientis versantes ipsi, ut rerum a se amotarum
suspicionem amoliantur, & juramenti manifestationis
molestiam effugiant, plerumque judicem arcessere so-
lent. Hæc obsignatio est fundamentum rite postmo-
dum conficiendi inventarii. Quoniam hæcce materia
multis scriptis nondum est exhausta, a) mihi, quodnam
argumentum dissertationis eligerem, animo agitanti
hoc sese comendavit potissimum. Interim extra oleas
vagari nolo, ut vel vocis etymologiam satis jam no-
tam,

tam, vel signaculorum sigillorumque originem, vel etiam omnes obfignationum species, v. g. testamentorum, documentorum, b) pecuniæ judicialiter depositæ, c) bonorum obætorum, & bonorum delinquentium, d) simul excuterem, ne nimis sese diffundens pertractatio dissertationis excedat modulum. Sed tantum mecum constitui, variis de origine obfignationis bonorum hereditariorum in Germania allatis conjecturis investigare, an locum hæc obfignationis species in alieno possit obtinere territorio?

- a) Prodiit anno 1691. Rosochii Jacobi LEMKEI Diff. de obfignatione judiciali & ac. 1723. Halæ KNORRII Dissert. de obfignatione judiciali, ao. 1738. cum variis accessionibus recusa, quæ proprie tantum tractat, quis tanquam iudex competens obfignet plurium concurrente jurisdictione?
- b) Larga manu scriptores harum rerum suppeditat Bibliotheca realis juridica Lippenio-Jenicheniana P. III. sub voce: *sigillum* & sub eadem voce in supplementis, quibus addi potest HEINECCIUS de sigillis veterum.
- c) Hanc speciem BICHROD. in velitationibus Academicis XXV. de oblationis & obfignationis remedio Moguntiaë 1623. & Georg. SCHVLZENIUS in tract. de oblatione, obfignatione & depositione pecuniæ pertractarunt.
- d) De obfignatione bonorum obætorum & delinquentium agit KNORRIUS in supra laudata Diff. Cap. 3. & 4.

S. II.

Fundamentum ex F. N. deducitur.

Inprimis indagandum videtur, an obfignatio hæc judicialis fundatam in jure naturæ habeat rationem? Eam ante introducta. rerum dominia aut ante homines quam in res publicas concessere, jusque hereditarium invaluit, res ipsa loquitur, fuisse plane igno-

ignotam. Postquam vero summa & universalis potestas humano generi a summo rerum Arbitro in ipsam terram universam & singulos homines in ea existentes concessa; deinde in plures est subdivisa civitates & territoriorum finibus distincta: eodem jure hæc summa potestas in singulis territoriis, eorumque civibus, incolis & omnibus ibi contentis fundata est; ut proinde tunc obsignationem quoque locum invenire potuisse, pronuntiandum sit. Per territorium enim transientes & advenæ ad tempus breve, subditi vero perpetuo sese suaque bona submiserunt ei, cui summa rerum in territorio delata; ut salus Reipublicæ promoveatur & tuti a læsionibus tranquille vivere possint. Vi hujus subjectionis imperanti jus competit in bona, quod sive imperium, sive dominium eminens dixeris, me facile habebis consentientem. a) Illud jus quidem tribuit facultatem, dominii usum, alienationem & acquisitionem legibus restringendi, ampliandi, summa urgente necessitate privatorum bona in usus publicos convertendi, b) subditos proprietate multandi, vacantia bona vindicandi &c. ast finis subjectionis simul præscribit imperanti, hoc jus non in subditorum uni-e incommodum esse detorquendum, sed ita potius moderandum, ut bona eorum salva sint, illique iis frui, ea conservare & augere queant. Quicquid igitur ad conservanda & tuenda bona salutare præbet remedium, illud introduci, non consilii tantum sed & officii est. Tendit eo justitiæ administratio, & quia Imperantes non omnibus laboribus sustinendis sufficiunt, magistratuum constitutio. Cumque magis expediat,

rem salvam habere, quam post vulneratam causam remedium quærere, omnia ea decet avertere & arcere, quibus bonis damnum, rei familiari jactura & juribus præjudicium imminet & infertur. Id ipsum obtinetur quoque obsignatione, ubi bona hereditaria publico sigillo impresso in custodiam publicam recipiuntur, c) ab ipsorum usu, abusu, direptione & exspoliatione male feriatu cohibentur, atque sigillo publico, ceu signo custodiæ publicæ, a violatione deterrentur; quo bona integra ad illum, qui jure in illa gaudet, devolvantur & perveniant. Hæc cum ita sint comparata, jus naturæ obsignationem suggerit, comprobatur & suadet.

- a) Interecessit olim controversia Wittebergensibus cum Hornio ratione dominii eminentis; quare etiam *Wilhelmus LYSERVS* sub titulo: *pro imperio contra dominium eminentis*, omnia scripta conjunctim evulgavit hac de causâ in lucem emissa. Quamvis litem hanc meam nollem facere, aptius tamen dominio eminenti omne jus in bona, & imperio vicissimo omne jus in personas adscribi censeo; quanquam ex usu loquendi dominium eminentis horridum sonum auribus incutere videtur, affectis eo tantum denotari flebile jus, subditos ob necessitatem publicam privandi bonis. *Conf. Just. Henning. BOEHMERI Introd. in jus publ. univers. Part. Spec. L. 1. Cap. 4. §. 25. §§. 5 not.*
- b) Tale tributum *FESTVS* p. m. 235. vocat temerarium, verbis: *dicitur etiam quoddam temerarium. ut post urbem a Gallicis captam conlatum est, quia proximis XV. annis census alius non erat.* Item bello Punico II. *M. Valerius Levinus & Marcus Claudio Marcello Coss. cum & Senatus & populus in ararium detulit, quod babuit.*
- c) Hunc esse scopum obsignationis, tradit quoque *LEYSE- RVS in Medir. ad ff. Tom. 7. Spec. 364. Med. V. p. 710. ver- bis:*

bis: Dann da solche Versiegelung kein anderes Absehen hat, als vermittelst Obrigkeitlicher Auctorität die streitige Sachen gegen jedermänniglich zu verwahren und zu vertheuern &c. &c.

§. III.

Licet igitur jus naturæ obfignationem, ceu utilissimum institutum in Republica commender: attamen imperans non statim ad introducendum quodcunque salubre institutum obstringitur; sed cujuslibet Principis merito relinquitur iudicio, an pensitans reipublicæ suæ formam, finem, statum, consuetudines, leges, principia juris &c. hoc vel illud accommodatum sit, vereque conducatur: nam tantum abest, ut omnia utilia instituta in una eademque Republica amicabile vinculo conjungi & exhauriri possint, ut potius interdum utilissimis & alibi comprobatis institutis salus alterius reipublicæ concutitur & periclitetur. a) Jam vero nostris in praxi receptis juribus vel ex Romanis vel ex Germanicis legibus & moribus natales deducuntibus, juvabit evolvere, alterutri acceptam referat suam originem hæc obfignatio, an recentiori ævo tacita invaluerit observantia.

a) Sic saluberrime videtur constitutum, ne debitores a creditoribus ad incitas per obstagium redigantur, si die veniente haud solverint, & hinc illud ceu Reipublicæ pestis abolitum. Nihilominus Ordines provinciales Holfatiæ adeo pro obstagio, tanquam ad fidem nobilium conservandam proficuo remedio, in Comitibus decertarunt, ut ipsis ejus usus permissus sit, per *Rec. Imp. de 80, 1654. S. 171.*

§. IV.

§. IV.

an jure
Rom.

Quod ad rempublicam Romanam attinet, in illa sigillorum a) usum viguisse, quam plurimæ loquuntur leges & haud pauci demonstrant ritus. Obsignabantur illis testamenta, b) tabulæ contractuum, c) variae res emtæ aut emendæ d) aut depositæ; e) unde etiam sigillatorum fit mentio, qui ceu testes signacula sua adponentes adhibebantur f); ast exinde nondum concludere licet, ob signationem judicalem rerum hereditariarum obtinuisse. De hac specie, quantum indagare licuit, leges expresse nihil fanciunt, g) & ex statu Reipublicæ, jurisque principiis eam antiquissimis temporibus Romanis fuisse incognitam ac sub Imperatoribus demum usu receptam, non improbabili conjectura asseri posse, existimo.

a) Hoc loco haud accipiuntur pro imaginibus aut simulacris, quales in festis diebus, qui Saturnalibus additi & Sigillaria dicti, pro suis capitibus Romani in sacellum Ditis deferebant. Ejusmodi enim simulacra sigilla appellabantur, erant fictilia & in nudinis sigillaribus venalia, puerisque emi & invicem pro muneribus mitti solebant: conf. *Alexander ab ALEXANDRO Genial. dier. T. I. L. III. Cap. IV. p. m. 579. & L. 192. §. 1. ff. de Leg. 1.* Sed hoc loco sumuntur pro annulis signatoriis tam publicis quam privatorum: non solum enim annulis quibus figuræ insculptæ utebantur in signandis tabulis per L. 4. & 7. restam. quemad. verum etiam pater annulum signatorium filio natu majori una cum clavibus moriens tradebat. Historiam annulorum contexuit PRINIVS Secundus in *Histor. nat. Lib. 33. Cap. 1.* ubi inter alia tradit p. m. 44. frequentior usus annulorum non ante Cn. Flavium deprehenditur (is etenim libertino patre genitus ob factos ao. V. C. CCCCXLIX. publicatos ædilis curulis cre-

creabatur, tribunusque plebis.) Quo facto tanta Senatus indignatione exarsit, ut annulos ab eo abiectos fuisse in antiquissimis reperitur annalibus. Addit paucis interjectis: Ita CCCCLVIII. a condita urbe gestum est: Et primum annulorum vestigium extat: promiscui autem usus altero Punico bello. Subjungit adhuc p. m. 444. Quae fuit illa prisca vita, qualis innocentia, in qua nihil signabatur? at nunc cibi quoque ac potus annulo vindicantur a rapina &c.

- b) *conf. Tit. ff. test. quemad.*
- c) *L. pen. 66. pr. ff. de donat. inter virum & uxorem, item L. 34. §. 1. ff. de pign.*
- d) *L. 1. pr. ff. de periculo & commodo rei vendita.*
- e) *L. 11. §. 3. ff. locat. L. 25. §. 1. ff. depos.*
- f) *L. 4. 6. & 7. ff. test. quemadm. conferatur BRISSONIUS de V. S. ubi plures leges & ex autoribus excerpta loca excitantur sub voce: Signatores.*
- g) *KNORRIO in supra laudata differt. eadem sententia probatur Cap. 2. §. 1.*

§. V.

Rationes, quae libera sub republica exclusisse ob-
 signationem rerum hereditariarum mihi videntur, sunt ^{Non libera} _{sub repu-}
 variae. 1) Status Romanus belli finesque amplifican-
 di studio erat praecipue intentus, a) cura vero pro bo-
 nis civium conservandis segnius suscipiebatur; quia li-
 bertati & dominio quiritorio civium, ceu coimperan-
 tium, indignum poterat reputari bona obsignari & ma-
 gistratum potestati & inquisitioni subijci. 2) Con-
 sules primum jus dicentes & postea Praetor infinitis &
 aliis & publicis negotiis distenti & obruti pro Romae
 amplitudine vix sufficiebant jurisdictioni, b) tantum
 abest ut sese sine nova lege ingesserint hereditatibus
 obsignandis. 3) Fiscus ab aerario nondum eo tempo-
 re erat separatus; c) aerario vero duo quaestores erant

B

praepo-

præpositi, qui censum tantum & vectigalia in illud redigi curabant; d) Magistratus vero sportularum prætextu civium facultatibus non inhiabant. e) 4) Qui erat heres ad omne æs alienum exsolvendum vires licet hereditatis excedens cogebatur, ut heredi haud luero cederet, in fraudem creditorum ex hereditate jacente aliquid intervertere. 5) Heredes facilius ante devolutam sibi hereditatem de custodienda hereditate sibi poterant prospicere; quia suam notitiam vix poterat effugere, si heredes essent instituti: siquidem ante XII. tabulas testamenta in comitiis calatis, postea V. coram testibus solenni mancipationis ritu condebantur, qui ritus ad Augusti fere tempora durasse dicitur, nec eo tempore tantus erat ab heredipetis incussus metus, ut nomen heredis testatores celaverint. f) 6) Hereditaria bona sub custodia servorum manebant, utpote quibus regulariter omnis rei familiaris cura erat commissa, quique, ne immitem crudelemque experirentur dominum jure vitæ & necis gaudentem, summa fide in hereditate versatos esse, credendum est; g) hi vero servi suis operis & contractibus acquirebant, ne hereditas imminueretur caventes. 7) Usus annulorum Sæc. V. post V. C. frequens privatis fieri cœpit & Sæc. VI. promiscuus, tandem ratione obsignationis, rerum custodiendarum gratia multo tardius invaluit, h) & interim ritus obsignandi a privatis ad magistratus ductus videtur.

a) conf. PUFFENDORFII *introduc. ad hist. præcip. regn. Cap. V. §. 12.*

b) Quia enim Consulibus bella satis negotii facebant, sapiusque

piusque aberant ab urbe; patricii vero illatam per creationem plebeii consulis suæ autoritati cladem reparare volebant, creabatur Prætor patricius. Postquam vero & hæc dignitas cum plebejis ao. V. C. 416. est communicata, duo fieri cœperunt, nempe urbanus & peregrinus & postea crescentibus provinciis ao. 537. IV. & ao. 555. VI. & postea plures quo propius ad Monarchiam accedimus. conf. HEINECC. *Antiq. Rom. L. I. T. II. §. 20.* & LIVII *Lib. 32. Cap. 27.* ex quo patet Prætores non Romæ omnes, sed in provinciis quoque jus dixisse: auctor enim est l. c. *Sex prætores illo anno primum creatos esse; crescentibus jam provinciis, & latius patescente imperio.* Ut adeo de multitudine laborum a Prætore sustinendorum facile iudicium ferri possit.

c) HEINECC. *Antiq. Rom. L. I. T. 25. §. 10.*

d) Immo post annum urbis 586. tributum desitum est exigi, testante Cicerone in libris de Officiis: *Omni Macedonum, inquit, gaza, quæ fuit maxima, potitus est Paulus. Tantum in ærarium pecuniæ iniecit, ut unius Imperatoris prædæ finem attulerit tributorum.* Quotannis ex Italia, provinciis que Sicilia, Sardinia, Hispaniarum vectigalibus ingens pecuniæ vis in ærarium redigebatur, quæ par erat ferendis impensis. Conf. SIGONIVS *de antiquo jure Civ. Rom. L. I. Cap. 16. p. m. 201.*

e) Sportularum enim nomine dimidium aureum exigere tantum permittitur, si summa petita ad C. aureos surgebat, & sportulæ semper hac proportionem sortis determinabantur. Conf. THEOPHILI *Paraphr. Lib. IV. Tit. 6. §. 24. & §. 24. J. de Act.*

f) Cautela enim ab VLPIANO SÆC. III. vivente in L. 8. ff. *Test. quemad. & a Justiniano §. 3. J. de pupill. subst.* supeditatur testatori, ut occultet nomen heredis, ne illi struantur insidiæ. Unde infero, antea eam cautelam non necessariam fuisse.

g) Nam si quid etiam ex hereditate subtractum probabatur, id per tormenta servorum hereditarium fiebat

per L. 22. §. 10. C. de jure deliber. de servis eorumque apud veteres ministeriis Laur. Pignorius librum edidit, & PORMA tractatum de operis servorum.

h) loquitur PLINIUS, qui sub Trajano vixit, de suo tempore in verbis §. IV. not. a) adductis ubi huic ritum privatæ refert obsignationis. De antiquis vero temporibus eodem loco testatur, quod nulla domi custodia a domesticis opus fuerit.

§. VI.

sub Imperatoribus.

Rerum summa uni delata rapinæ a) & hereditarum frequentiores extiterunt insidiæ, b) atque Imperatores libertatem civium paulatim cancellis circumscribere sunt anni: immo tanta contigit mutatio, ut aliam plane faciem Respublica Romana pedetentim induerit. Non minimum momentum collocandum mutationis in eo, quod separatæ ab Augusto aut Tiberio fisci ab ærario sint constitutæ rationes, ut ærarium ad populum, fiscus ad Principem spectaverit. c) Nam Imperatores neglecta ærarii cura invigilarunt sedulo, quomodo novis legibus, privilegiis & pœnis suæ dispositioni relictos fisci accumularent redditus, & omnes Imperii divitias ad se raperent; ut largitionibus in milites imperium firmare suæque profusioni fræna laxare possent. Augustus A. V. C. 759. legem tulit Juliam seu vicesimariam, d) qua vicesima pars hereditatis per testamentum extraneo relictæ in fiscum redigebatur, quam vicesimam Caracalla postea ad decimam auxit. e) Anno 760. accessit lex Papia Poppæa, vi cujus, si nemo erat ad quem bonorum pertinebat possessio, f) aut si quis aderat quidem, ast jus suum omiserat, g) vel capere non poterat, vel ante testamentum decesserat, h) bona

bona omnia tanquam caduca, quasi caduca, ereptitia, vacantia &c. deferebantur militari aerario & non multo post fisco. Hisce legibus, quis dubitabit, quin aditus sit apertus fisci procuratoribus, quorum passim in jure mentio fit, ad omnes privatorum hereditates, i) & ipsi pro utilitate fisci plus quam lynceis oculis excubuerint. Pater ex altero legis supra dictæ vicesimaræ capite, quanta cura pro fisci commodo promovendo fuerit acta, dum ne mora ulla quidem ob hoc vetigal interponi aperiendis tabulis debebat. k) Et postquam tot casus emergere poterant ex hereditatibus aliquid capiendi, necesse erat, ut fisci procuratores inspicerent tabulas testamenti, hereditatis vires perscrutarentur, de heredum qualitate, portionibus, legatis & fisci juribus cognoscerent. Unde SCHILTERVS l) æque ac PEREZIVS m) in eam eunt sententiam, omnes transactiones de hereditatibus dividendis, omnesque divisiones publica autoritate peragendas fuisse. Jam vero ea est multorum falsa persuasione delusorum indoles, ut, si possint fisco legibus concessa lucra subtrahere, id sibi minime religioni ducant, adeo, ut partes fisci ex hereditatibus provenientes majori periculo fuerint expositæ, ac aliæ: atque proinde conjecturæ locum dare non ambigo, obsignatione judiciali esse fisci prospectum securitati. De more Romano res securitatis gratia obsignandi, jam supra aliquid allatum, pluresque autores testantur, n) & vix in dubium vocari potest, sigilla publica magistratibus, civitatibus, & in officio publico constitutis viris concessa esse, quo de fide ipsorum ex immutabili hoc signo constaret.

staret. o) Quod vero res hereditariæ fuerint obfignatæ, colligi potest ex VLPIANO ad edictum *L. 1. §. 24. ff. de ven. in possess. mitt.* cuius verba sunt: *Quodsi nondum curator constitutus res hereditarias heredem institutum vel substitutum OBSIGNARE non debere; sed tantum pernumerare & mulieri adsignare.* Ex hac lege deduco a) Romanis in more fuisse positum res hereditarias obfignare, alioquin heres obfignationem non suscepisset, nec hæc quæstio fuisset mota: b) hanc vero obfignationem improbari, quia privata auctoritate facta. Privata auctoritate non licebat signa rebus ab alio detentis imprimere p): heres iure deliberandi utens nihil in hereditate, interposita licet protestatione, sine iudicis auctoritate intra spatium deliberandi agere poterat q) & legitimi æque ac testamentarii heredes per B. P. judicialiter acquirebant hereditatem. r) Ex his igitur porro infero, obfignationem ad custodiendas res hereditarias a iudice fuisse peractam, & origines dedisse solenni inventario. s) Postquam vero beneficium inventarii a Justiniano introductum, illudque ceu multo pinguius remedium plerisque heredibus arrisit, hoc in omnibus fere hereditatibus invaluit, & per hoc obfignationis ritus cum Jure Romano exteras gentes transiit.

a) PLINIUS *Histor. natur. T. III. L. 33. Cap. 1. p. m. 444.* at nunc, inquit, cibi quoque ac potus annulo vindicantur a rapina. Hoc profecere mancipiorum legiones & in domo turba externa &c. & porro: nunc rapienda comparantur epule pariterque, qui rapiant eas, & claves quoque ipsas signasse non est satir.

b) *conf. not. f. §. prec. V.*

e) *conf. HEINECCII Antiq. Rom. L. 1. T. 25. §. X.*

d) & e) fit hujus legis mentio in L. 3. C. de Edict. D. HADRIANI toll. Plura de illa tradit Julius PAULVS recept. sent. L. IV. Tit. VI. & SCHVLTING. in *Jurisprud. Antejust.* ad hunc locum not. 1) ubi simul de Caracallæ constitutione & quamdiu duraverit, agitur.

f) hunc primum casum, quo lex caducaria obtinet, unam gradibus, per quos B. P. defertur, commemorat VLPIANVS in *Fragmentis Tit. 28. §. 7.* quæ exhibet SCHVLTING. in *Jurisprud. Antejust.*

g) parentes aut liberi intra annum utilem, alii intra centum dies utiles §. 4. I. de B. P.

h) varias species, quæ sub his comprehenduntur enumerat VLPIANVS in *Fragment. Tit. 17. §. 1. conf. SCHVLTING. Antejust. Jurisprud. in notis huic loco subjectis, & HEINECCII Antiq. Rom. Lib. II. Tit. 14. §. 2. & Lib. 3. Tit. 10. §. 8.*

i) Eandem sententiam SCHILTERVS tuetur in *Prax. Juris Rom. Exerc. ad ff. XVI. §. 49.* verbis: *Hinc consequens fuit, ne quid in fraudem vicesima fieret, ut hereditatum additionibus, divisionibus, transactionibus prætor (nam illis temporibus prætores erant aucti, & singularibus causis prætores constituebantur) aut saltem procurator hereditatum interveniret. Meminit simul l. c. quod Principi fuerint procuratores hereditatum speciali statione in re fiscali gaudentes, testantibus id Inscriptionibus, & quadam jurisdictione præditi arg. L. 8. §. 19. ff. de transact. HEINECCIVS vero sibi persuadet, horum procuratorum officium spectasse tantum ad hereditates Principi heredi delatas. vid. *Antiq. Rom. L. 1. T. 25. §. 10.* Præterea omni caret dubio, antea tabulas testamenti fuisse apud censuales seu magistrum census depositas apertasque, sed hoc munus postea quæstori fuisse delatum. Docet hoc notitia utraque dignitatum cum orientis, tum occidentis p. m. 121. Hunc quæstorem fisci commodum non neglexisse putarem, hac occasione data omnes inspicendæ tabulas.*

k)

- k) *Julii PAVLI recept. sentent. Lib. IV. Tit. 6. §. 3.*
- l) *SCHILTERVS in Praxi juris Rom. Exerc. IX. ad ff. §. 15. 16. 17. ubi transactiones de divisione hereditatis ejusdem naturæ ac de alimentis asserit, & hinc colligi posse autumat in not. c. quæ fuerit ratio, cur in L. 4. Cod. de commun. div. dubitatum: an divisio sine instrumento & extrajudicialiter facta subsistat: quia ex regula judiciali autoritate fuisset suscipienda. Conf. ipse Exerc. XX. §. 80.*
- m) *PEREZIVS in Comment. ad C. Lib. III. T. 36. n. 22.*
- n) *conf. PLINIVS Loc. supra citato & SALMASIVS de sub- scribendis & signandis testamentis Cap. X. p. 104. Romanos annulo signare omnia, quæ domi clausa volebant vindicare a domesticorum & servorum rapinis, capsas, arcas, armaria, penum, cellam, amphoras, lagenas, & reliqua utensilia, quæ aliquid furto & rapinæ obnoxium continerent, sive res cibi essent, sive potus, sive quæcunque alia signasse.*
- o) *conf. BOEHMERI dissert. de jure & autoritate sigilli authenticæ Cap. 3.*
- p) *per Tit. C. ut nemini liceat sine judicis autoritate signa imponere rebus alienis. Utraque lex hujus tituli suggerit casus satis perspicuos, & posterior præcipue huc facit: rebus, quas alius detinet, imprimere signa nemini licet, etiamsi suas vel obligatas sibi eas esse aliquis affirmet. Ex hac lege ratio decidendi L. 1. §. 24. de ventr. in poss. mitt. elucet, simulque usus judicialis obsignationis confirmatur.*
- q) *per L. 5. §. 7. ff. de jure deliberandi, judex adeundus erat, si res hereditatis jacentis, quæ servando servari non poterant & deteriores reddebantur, intra spatium deliberandi erant alienandæ. Unde suspicor, eas per obsignationem interim fuisse sub custodia publica.*
- r) *§. 1. I. de B. P.*
- s) *Quamvis in L. 22. C. de jure deliberandi, obsignatio ad confectionem inventari non requiratur disertis verbis: attamen*

attamen tot vestigia potestatis judicialis in rebus hereditariis & obfignationis omne dubium eximunt, quin obfignatio inventarium præcefferit; ejusque ceu ritus notiffimi nullam mentionem esse injectam, LEYSERVS in *Med. ad ff. Vol. 5. Sp. 364. Med. V.* satis probabilem rationem suggerit, quod obfignatio ante inventarium adhibita fit, ipsam nempe rationem *L. 22.* supplere & sine obfignatione nullam posse esse fidem.

§. VII.

Ex bonis pupillaribus, quæ speciem bonorum hereditariorum conficiunt, lucem foeneratur id, quod superiore asserui §o: Personas enim publicas ad pupillarum res describendas in solenni inventario, easque tutoribus tradendas accessisse, ex eo sequitur, quoniam ante solenne confectum inventarium rerumque traditionem tutori nequidem licuit eas attingere. a) Quod vero obfignatio non fuerit exclusa ex *GODOFREDI Codice Theodosiano* comprobari potest *L. III. T. XIX. L. 4. de admin. & per. tut. ex qua L. 24. C. de periculo tut. & cur.* desumpta sed interpolata est. b) Verba huc facientia sunt: *Tutores eodem momento, quo fuerint ordinati, mox audiant cognitores, ut presentibus primatibus (decursionibus scil.) defensore (civitatis ad quem tenuiorum & pupillarium defensio pertinebat) officiis etiam publicis (scribis scil. viris clarissimis) inventario solenniter facto omne aurum argentumve, & quicquid vetustate temporis non mutatur, si in pupilli substantia reperiatur, iudicum & Senatorum Officiorum etiam publicorum INVTVM SIGNACVLIS in tutissima publica auctoritate sententiæ, sine spe aliqua usurarum, custodia colloceatur &c.* Ex hoc Arcadii & Honorii rescripto patet, 1) tutores statim audire debuisse

buisse cognitores c), 2) inventaria hereditatum in praesentia personarum publicarum esse condita, 3) signaculis publicis eas fuisse instructas, 4) atque illa adhibita, ut res reciperentur in custodiam publicam. Hinc res pupillares interim fuisse in custodia publica, & obfignatione tanquam consuetudine comprobato ritu id factum, credendum est. Haec me confirmant in sententia, obfignationem ante beneficium fuisse usitatam inventarii, & cum hoc per jus Romanum propagatam.

- a) notatu dignae sunt LL. sequentes, L. 7. pr. ff. de administr. & per. tut. L. 24. C. de periculo tut. & cur. L. 13. §. 1. C. de arbitr. tut. conf. STRYK. in Ufu Mod. Lib. XXVI. Tit. 7. §. 17.
- b) De cognitoribus enim audiendis & de sigillis adponendis nihil cogitavit, forsitan quia haec pro rebus in vulgus notis reputavit. Quod ad cognitores attinet Gutherius de Officiis Domus Augustae Lib. 1. Cap. 25. sibi persuadet, Tribonianum ubi vis cognitorum nomen expunxisse; quia sua aetate iudices a Principe dati hoc nomine veniebant, quorum dignitati alioquin derogaretur. Ast hanc conjecturam perstringit GOTTFR. in Comment. ad Cod. Theod. Lib. II. Tit. 12. L. 7.
- c) Cognitarum officium & historiam describunt Barnab. BRISSONIVS de Verb. signifi. sub hac voce, SCHVLTINGIVS in Jurispr. Ansejst. ad Pauli sentent. L. I. Tit. II. not. I. p. 221. & GOTTFREDVVS ad Cod. Theod. Lib. II. Tit. 12. de procuratoribus & cognitoribus praecipue vero in Comment. ad L. 7. hujus tit. ubi ex antiquitatibus amplissime deducitur, quod cognitores fuerint procuratores, qui a praesentibus partibus sine mandato in iudicio constituti, & propterea ceu earum intimiores amici & rerum obviarum cognitione juris imbuti, consulti fuerunt. Ejusmodi cognitores utilem utique operam tutoribus navare poterant in conficiendo inventario ob
 varia

varia fisci & creditorum aut legatariorum jura; ut inde haud necessarium ducam, ad in usitatum significatum praesidium provinciarum sub cognitoribus intelligendum, uti glossa tradit, delabi & convolare.

§. VIII.

Germaniam mihi ob oculos proponens antiquis *An jure Ger-*
 imperitus, sigillorum ignarus, a) varia supellectile *manico?*
 pretiosa haud instructus, non auro, non argento dives nec
 ejus appetens, a testamentis abhorrens, b) avita praed-
 dia rarius & aegre alienans, sed ad posteros transmittens,
 c) & insigni fide praeditus; ut difficilius juramenti re-
 ligionem falli, quam judicis auctoritatem eludi posse ar-
 bitraretur: Hereditates deferebantur heredi certo &
 noto ab intestato aut pacto. d) Heredes non teneban-
 tur ultra vires hereditatis e) & facile dividebant eam. f)
 Non exigebatur inventarium, sed sufficebat jurata spe-
 cificatio. g) Ad hanc tutores dati reddebant rationes
 rerum etiam pupillarium h). Nullum vestigial fiscale
 impositum erat hereditatibus, i) bona vacantia extra-
 debantur judici post trigesimum k); intra trigesimum
 vero licebat heredi ingredi domum & custodire bona
 privata auctoritate, ne tamen viduam expelleret aut ma-
 jorem potestatem sibi arrogaret, l) & plures alios mores
 recensere supersedeo. Hac rerum facie, quid mirum,
 nec ad divisionem hereditatis judici patuisse aditum,
 nec ob signationis nec inventarii occurrere vestigia?

a) Hinc Germani antiquiori aeo syngraphas suas non sigil-
 gillis corroborarunt, sed massa ex farina, cera & melle
 confecta, cui debitor pollicem suum impressit. Causa
 ad judicium postea delata, si pollex respondisset figuræ
 impressæ

- impressa debitor habebatur pro confesso; quia hoc recognitionis loco erat; prouti de LUDWIG in diurnis *Halenfibur* P. I. p. 1079. commemorat, sibi ejusmodi antiquitatis documentum superesse. Hæc inserta sunt LEXICO UNIVERSALI Tom. 37. sub voce: Siegeln, p. 1085. sqq.
- b) HEINECC. *Elem. Jur. Germ.* p. I. L. 2. T. 6. §. 141. sq.
- c) *conf.* HEINECC. l. c. §. 162. sqq. imprimis notari meretur nota subjecta §. 163. ubi evincitur, mobilium etiam rerum alienationem fuisse restrictam.
- d) Jus Alemannicum primum meminit testamentorum, quia forsan in eas provincias jus Romanum citius penetravit, cavitque ejus autor simul eo ipso, ne eodem fulmine Pontificis feriretur ac compileret Spec. Sax. *conf.* HEINECC. l. c. §. 164. sqq. ubi loca ex legibus Germanicis adposita sunt.
- e) *Conf.* HEINECC. l. c. §. 238. sqq. ubi simul ostendit Francos & Alemannos principiis Romanis hac in parte indulgisse.
- f) *conf.* Geo. BEYER *Dissert. Major. dividit & minor eligit.* Wit. 1712.
- g) *Conf.* HEINECC. l. c. §. 305.
- h) *Conf.* *idem* L. I. T. 16. §. 375.
- i) Nam antiquissimis temporibus ex TACITO de moribus *German.* cap. 15. per collationem, non fisci juribus, subveniebant Reipublicæ; ast occupatis Romanorum provinciis demum de introducendo & locupletando fisco Teutonice gentes fuerunt solliciti. *conf.* HEINECC. P. I. L. 2. T. 9. §. 263. sqq.
- k) *vid.* Spec. *Saxon.* L. I. Art. 28. & *conf.* de fisci successione Germanica AIRERI per elegans *Dissert. de jure occupandi bona vacantia.* Göttinge 1740. §. 6. & 7.
- l) Spec. *Saxon.* L. I. Art. 22.

§. IX.

Quomodo in
Germ. in-
troducitur.

Quo vero modo paulatim invaluerit obsignationis ritus in Germania, ut sententiam meam aperiam, mihi

mihī ita videtur res acta. Ab Imperatoribus Romanis usus sigillorum ad Reges provincias Romanas occupantes, & imprimis a Francis ad Germanicos Imperatores transit; a) In Hierarchia vero Ecclesiastica a Pontifice Romano ad Episcopos & clericos fluxit. b) Imperatorum exemplum potentiores Imperii Status sunt secuti, c) illudque sibi aut arrogarunt sigillis publicis utendi jus, aut ab Imperatoribus obtinuerunt: siquidem inter reservata refertur Imperatoria jus sigilla concedendi, d) & quotidie adhuc gentilitia æque ac authentica, & hæcce imprimis Comitibus Palatinis & Notariis conferuntur. Potentiorum Statuum vestigiis Status postmodum instituisse minores, civitatesque, credendum est. Status Imperii vero, superioritate territoriali pedetentim firmata, tanquam territorii Domini summa potestate fulgentes, non tantum ipsi sigillorum usum frequentarunt, e) sed & publica sigilla subalterna potestate donatis judiciis, magistratibus & urbibus municipalibus commiserunt; ut hodie nullus iudex in pagis patrimoniali jurisdictione præditus his sit destitutus. Juris Romani observantia sensim irrepente interea, ad hæcce leges usus sigillorum est attemperatus, isque sese maximopere sine dubio commendavit in custodiendis bonis hereditariis, ut solenne inventarium confici, & inventarii beneficium cum Romano jure in fora introductum, locum habere posset. Status Imperii, quis sibi persuaderet, respuisse commoda ex obfignatione in reditus Cameræ augendos redundantia; dum vires hereditatum habentes cognitæ nec gabella detractionis defraudari, & bona fisco vindicanda in tu-

to collocare poterant. Judices nemo segnes & desides in obfignatione introducenda, frequentanda & extendenda suspicabitur; quin potius ambabus manibus occasionem amplexi sunt, sportulas multiplicandi: obfignatio enim, resignatio & inventarii confectio non spernendam pepererunt messem. g)

- a) *conf. BOEHMERI dissert. de jure & autoritate sigilli autentici Cap. I. §. 4. & b. not. 18.* Sicut enim Romani annulos signatorios adhibuerunt; ita & ab Imperatoribus Carolingicæ stirpis omnia annulo signata sunt documenta.
- b) *Conf. BOEHM. dissert. modo cit. Cap. II. §. 2. & in specie locus Matthæi PARIS. in historia Anglic. ad annum 1277. p. 383. in not. 60. textui subjectus, ubi traditur, omnibus Prælatiis, Collegiis, judiciis ecclesiasticis sigilla publica concessa esse. Sæc. IX. Episcopus imaginem Pontificis in sigillis gessisse, asseritur ex ECCARDI Franc. orient. Tom. II. p. 480. in Lexico universali Tom. XXXVII. sub voce: Siegel (Bischöfliche.)*
- c) *GLEICHMANNVS in Comment. de Magno Ducali sigillo Saxonico Majestatis Sect. II. §. 8. & 9. sibi persuadet, filium curiæ de appenso sigillo ab Imperatore ad status dimanasse, & usum sigilli majoris Saxones ab Ottonum temporibus continuasse, licet dignitas Imperatoria ad aliam familiam translata sit, privilegio Ottonum forsitan suffultos. Quod sigillum majestaticum Eminentissimorum Moguntinorum Electorum antiquitatis præ aliis gaudeat prærogativa tradit idem §. 17. l. c. ex de OYDENI sylloge I. monumentorum diplomatariorum veterum.*
- d) *Conf. ZIEGLERVS de juribus Majestaticis Lib. II. cap. 21. ubi simul ostendit, hoc magis hodie in sigillis gentilitiis quam publicis consistere concedendis.*
- e) *conf. BOEHM. cit. Diss. Cap. II. §. 1. Gentilitia vero sigilla conferentes status hoc ex privilegio Cæsareo agunt, uti Frid. III. Elect. Sax. insignia Luca Cranachio impertiens*
ad

ad Maximiliani privilegium provocat: *conf. ZIEGLERY cit. loc. §. 9.*

- f) varios casus, quibus bona hereditaria in fiscum rediguntur recenset GRAMIZER. *in Dissert. de jurisdictionum fructibus Cap. II. de fructibus jurisdictionis universalis sive superioritatis territorialis agente, §. 7.*
- g) hinc & merito inter fructus jurisdictionis civilis referuntur impensæ pro sigillis impressis aut appensis a GRAMIZERO *l. c. Cap. 4. §. 3. n. 2.*

§. X.

Hancce obsignationis speciem in Germaniam tra-
Defini
 ductam & receptam ita defini posse, existimo, quod sit actus vi summi imperii aut domini eminentis in territorio a persona, cui concessa jurisdiclio civilis, susceptus, ubi per sigillum publicum impressum statim post mortem defuncti bona hereditaria mobilia in custodiam publicam recipiuntur, ne illi, quibus in hereditate jus est, lædantur. Ex hacce definitione plura theoremata formare possem, quæ singula singulis capitibus haud sterilem suppeditent materiam, si multa conscribendi gloriolam captarem. Ast quia in Germania plura sunt territoria & ex pluralitate territoriorum collisiones superioritatis & servitutum juris publici enascuntur, missis ceteris, ad Germaniam hoc tantum theorema sum applicaturus: jus obsignandi dependere ab imperio aut dominio eminente in territorio,

SECTIO II.

§. I.

*Conditio &
Status Im-
perii.*

In Imperio Romano-Germanico nostro Imperator est summum caput, qui, cum nemini subiectus sit & independens, maiestate quidem gaudet summoque imperio: a) ast quia valde jura ipsius sunt accisa per capitulationes legesque Imperii, non tanta est ejus potestas in imperio ac Statuum in territoriis, & principium fallit, singulos Status in territoriis suis posse id, quod Imperator in Imperio. d) Competit quidem Imperatori jus & dominium eminens quoddam in bona immediata, quod tamen per Imperii leges varie restringitur; ast mediata in bona insigniter est infirmatum; ut fere nullum effectum in Statuum territoriis exserat, illique omnem concurrentem potestatem in bonis in terris suis sitis respuant & excludant. c) Utrum enim Status Imperii recentioribus sæculis ad tantæ potestatis fastigium, an vero Principes statim Carolingorum ævo complexum summorum jurium feudi lege & territorii jure, comites aliique vero vi officiorum ab initio litteris investituræ complexa tantum regalia, paulatim vero omnia jura nacti sint, aliis dijudicandum relinquo. d) Sufficit Status hodie Imperii omnes superioritate territoriali esse præditos, idque non forsitan ex indulgentia, aut gratia aut precarii jure; sed per leges Imperii totam ejus compagem sustinentes, pacem potissimum Westphalicam & capitulationes hæcce superioritas fundatur, confirmatur ac stabilitur. e) Jam commemorata superioritas inhæret ipsi

ipſi territorio omnibusque ejus partibus, rebus item ac perſonis eo comprehenſis, eſtque ſumma poteſtas ita, ut niſi quis exceptionem exemptionemve probaverit, ſe illi haud queat ſubtrahere. f) Quia vero ſumma poteſtas intra fines concluditur territorii & extra terminos omnino deſinit & nulla eſt; quilibet vero Statuum hac ſuperioritate gaudet, pluraque adeo exiſtunt territoria: nullus Statuum jura ex territorii ſumma poteſtate profluentia in alieno territorio exercere poteſt; ſed in illo pro privato omni poteſtate deſtituto habetur. E contrario intra territorium proprium competunt omnia jura cum in perſonas, eorumque actus, ſive domicilium ibi habeant, ſive ſint advenæ, ſive tranſeuntes; tum in res, ſive immobiles ſive mobiles, ſive ſint in territorio comprehenſæ, ut ibi maneat, ſive caſu & ad tempus ſaltem poſitæ, quamdiu ibi nimirum ſunt ſitæ. g) Sicuti vero Principes potentiores maturius & frequentius ſuperiora illa jura exercuerunt, quam alii ſtatus: ita jura territorii hiſ non ſunt propterea de neganda, quamvis ab ſingulorum exercitio conſultius ſæpius abſtineant. Hinc etiam civitatibus Imperii territorii vindicantur jura. i)

a) id ipſum ad unum omnes juris publici Dres concordibus tradunt ſuffragiis, & quidem cum quadam competit ei prerogativa in *R. I. 1566. in princ. Conf. cocceji juris publ. prud. Cap. 8. §. 25. MOSERI Grundriß der heutigen Staats-Verfaſſung Lib. 3. Cap. 3. & 4. BRUCKNERI Diſſert. de Rom. Imp. Majeſtate præcipue reali & perſonali. Nec per capitulationem Majeſtas Imperatori admittitur, ſed poteſtas reſtringitur. conf. STRUV. Syntag. Juris publ. Cap. VI. §. 31.*

D

h) olim

- b) olim enim ptineipium hoc est defensum, uti LIMÆVS tradit in *Jure Publ. L. IV. cap. 8. §. 6. & 8.* at de vero ejus sensu speciali differt. egit HILDER. EYBENIVS, Giesæ.
- c) unde TITIO in *Specimine Juris publ. Lib. V. cap. 3. §. 18.* de reservatis Imperatoriis agenti tuto asseri posse videtur: Cæsaris potestatem in eo consistere, quod ratione singulorum territoriorum ea possit facere, quæ superioritatem territorialem non turbant, aut pacta tacita vel expressa permittunt &c. quare etiam dubitat, an e. g. induciæ moratoræ, famæ restitutiones &c. eidem asferendæ sint, quia superioritatem offendunt. Addatur *L. c. §. 73.*
- d) Priori sententiæ STRUVIVS favet *Syntag. J. Publ. cap. XXVI. §. 15. & 16.* posteriorem vero defendit COCCEJI in *Jur. publ. & dissert. de fundata in territorio & plurium locorum concurrente potestate Tit. I.* Egit quoque de ejus origine HENNIGES de *superioritate territoriali §. 30. sqq.*
- e) *conf. Instrum. Pacis Westph. Art. VIII. §. 1. Art. V. §. 30. Capit. noviss. Art. I. §. 8. & Art. XV. §. 2.*
- f) COCCEJI *jure publ. Cap. 21. §. 15. & 16.* Moderata quidem est hæc summa potestas statuum per Imperii nexum; sed propterea non desinit esse summa. Id quod patet ex septem restrictionibus ejus, quas tradit autor des *Europaischen Zerolds P I. p. 171.*
- g) COCCEJI *cit. Dissert. de fundata potestate &c. Tit. II.*
- h) varias prerogativas commemorat GLEICHMANNVS in supra excitato *Comment. de magno Ducali sigillo Majest. Sax. Capit. I.* ubi agit de Ducum & Principum Majestate.
- i) *conf. WILDVOGELII Diss. de superioritate territor. civit. Imp. & STRUVII Diss. de territorio clauso civitatum Imp.*

§. II.

Conclusio-
nes.

Cum igitur jus obſignationis dependeat a summo imperio seu dominio eminente; Statibus vero Imperii in omnia bona in cujuslibet territorio proprio sita aut illata vi superioritatis territorialis legibus firmatæ com-
petat:

petat: merito concluditur: 1) Imperatorem obsignationem bonorum in Statuum territorii sibi arrogare non posse: nec 2) Statum in alterius Status territorio eam jure suscipere: nec 3) ministros Principum, nec 4) advenas, nec peregrinos ratione bonorum in territorium illatorum sibi obsignationem vindicare, aut se illi subtrahere posse; illam, 5) vero cohærere jurisdictioni civili ex moribus. Ex quibus principiis varios obvenientes casus decidere licet.

§. III.

Inter Imperatoria reservata quoque refertur jus ^{Conclusio.} Notarios creandi, a) qui in singulis fere urbibus & oppidis post juris Romani receptionem versantur & ad varia negotia autoritate Cæsarea peragenda adhibentur; ut inde quæstio oriatur, an bonorum hereditariorum obsignationem Notarii autoritate possint Cæsarea in territorii Statuum expedire? Affirmantes non rationibus plane destituuntur: nimirum, quod Imperatoris ceu supremi capitis potestas per totum Imperium sese extendat; Status vero Imperii feudali lege territoria & jura regalia teneant; adeoque merito patiantur, si in territoriiis vi concurrentis potestatis ab Imperatore varia jura exerceantur: b) quod porro per juramentum Imperatori & Imperio præstitum Notarii publici in Statuum territoriiis libere constituentur & versentur, fide publica gaudeant, varios actus jurisdictioni voluntariæ ut plurimum annumeratos exequantur, sigillo publico instrueti, & proinde res hereditarias obsignare possint, & hæc obsignatio tanquam auspiciis Cæsareis facta in territoriiis valeat. Hæc & alia dubiola hodie a juris
 D 2 publi-



publici exploduntur tironibus. Status siquidem Imperii proprio jure territoria obtinent, ante infeudationem exercitium omnium summorum jurium ipsis minime denegatur, & reservata Imperatoris salva ipsorum superioritate territoriali tantum exercenda & intelligenda sunt. c) Sicut vero jus obsignationis in dominio eminente territoriali fundatum & jurisdictioni annexum: ita nemini licet casibus obvenientibus id executioni dare, nisi qui a territorii domino facultate est ornatus in custodiam publicam res in territorium illatas recipiendi; ut vi jurisdictionis possit violatores hereditatis cohibere, præceptisque, quo omnia legitime fiant, terrere & adigere. Jurisdictio Notariis nec unquam ab Imperatore ad leges Imperii adstricto collata, nec, si collata esset vel voluntaria tantum, in præjudicium id superioritatis posset detorqueri. d) Ad factam testam conservandam superioritatem per leges provinciales actus Notariorum muneri coherentes passim restringuntur, nec cum iudicibus in censum venire possunt, e) sed sunt tantum scribæ publici, qui merito intra limites contineri debent officii. Quare, si Notarii temerario ausu jus obsignationis sibi attribuissent, eorum sigilla rebus impressa detrahi & magistratus ordinarii sigillum in eorum locum apponi posset.

- a) hos olim Imperatores per pennæ ac calamarii traditionem hoc munere ornavunt. *Conf.* STRUVIUS *Syntagma Jur. publ. Cap. XI. §. 24.*
 b) *conf.* LIMNÆVS *Jure publ. Lib. IV. Cap. 8. §. 184. COLEERVS proc. execut. p. 2. cap. I. n. 134. 136. it. BESOLD. de Imp. & Fam. origine p. 159. sq. regulariter concedens, inquit,*

quit, inferiori jurisdictionem, intelligit eam in dubio non privative sed cumulative concessisse, adeo, ut eadem potestas & jurisdictio superiori adversus homines sui vasalli etiam deinceps competat, nisi illa fuerit preventa per inferiorem, vel constet aperissime de contraria mente concedentis &c. & porro: Sed Imperator e. g. infeudans vasallum de territorio cum omnimoda jurisdictione intelligitur eam abdicative in accipientem contulisse, non autem accumulative respectu ipsius tantumquam superioris &c.

- c) Id ipsum exemplo restringendæ potestatis Comitum Palatinorum in danda venia ætatis egregie deduxit HORNIVS in *Programmate Academico Jurisprudentiæ feudali* annexo sub n. X. p. 35.
- d) Quætionem, an Imperator possit jurisdictionem concedere in territoriis Statuum, excussit GLAFEY in *Dissert. de jurisdictione voluntaria extra territorium non exercenda* §. 16. 17. 18.
- e) Sic ad Notariorum testamenta septem testes requiruntur, ad giudiciale nulli: Notariorum attestatis in territoriis plena fides interdum detrahitur, testium examen interdicitur &c. Varias restrictiones ejusmodi suggerit LUDOVICI in *Dissert. de Notario testes examinante*, ubi §. 44. adducit ordinationem Augusti Administratoris Magdeburg, de ao. 1666.

§. IV.

Sed quæstio alia est, annon Imperator possit obsignare in territoriis Statuum, si Princeps Imperii regens vita fungatur? Quia est supremus in Imperio Judex, qui jurisdictionem per judicia Imperii in immediatos exercet, qui illis impuberibus tutores constituit & confirmat: ex principiis juris hoc jus ipsi esset adscribendum; si ratio territoriorum obsignationem expofceret. At pensitata conditione Statuum, illa ra-

ro & vix locum inveniet: minimum juris publici Ddres hujus juris nullam injiciunt mentionem, nec exempla mihi innotuerunt. Ut taceam, obsignationem sine interposito intervallo esse peragendam; ut haud admittat, e longinquo ab aula Imperatoria Commissarios peti: finis obsignationis in Statuum territoriis excluditur Principe orbatis, qui est ut legitimum possit confici inventarium. Jam vero in Camera Principum extant inventaria generalia totius regionis & specialia praefectarum, omnis supellex est descripta, omnes res mobiles sunt commissae curae & juratae fidei ministrorum, quorum juramentum plerumque fidem eorum ad successorem extendit & omnem vim retinet in territorio; ut extincto licet Principe, sint personae publicae in illo territorio, usque dum successor aliter disponat. Si forsitan paucae res mobiles Principis forent obsignandae: supremum sine dubio Collegium id per Notarium expediet; cum operae haud pretium sit, propterea Commissarios Caesareos arcerere. Tutrices viduae illustres, ad conficiendum inventarium in confirmationis decreto adstrictae non novum solenne inventarium conficiunt; sed ad publica inventaria extantia rationes componunt. a) Hac ratione nihil facile potest interverti: quia ministrorum ac domesticorum periculo id cederet, qui res sibi concreditas restituere juxta inventaria adstringuntur; nec incerta est hereditas, uti privatorum. Praeterea Imperatoria obsignatio plerisque casibus locum repetire non possit: nam mortuo Principe ecclesiastico, regimen jure proprio status Imperii statim redit ad capitulum: b) Defuncto

functo vero sæculari, proximus successor & tutor ad beatitudinem juridicam adspirat, eaque sibi consulit. Immo etiam, relictis impuberibus, aut testamento tutores sunt dati, idque ab Imperatore confirmatum; tunc vi illius confirmationis hac potestate obsignandi essent instructi: aut legitimi, & tunc vi simultaneæ iuvestituræ quasi condomini hanc forsitan sibi arrogarent. Interim ad has rationes dubias non necesse est convolare: cum finis obsignationis in illustribus exulet, nec compertum habeam, aulam Imperatoriam nuper in Ducatu Vinariensi sibi illam vindicare voluisse; quamvis mihi ceu privato nec animus nec facultas cujusquam derogandi juribus.

a) *conf. STRYKII Uf. Mod. Lib. 26. Tit. 7 §. 14. sq.*

b) *conf. BOEHM. jus eccl. prot. Lib. III. Tit. 9. §. 22.*

S. V.

Principes Statusque Imperii jure legatos & qui *Legati*. dem primi ordinis ad se invicem & ad extraneos mittendi gaudent, a) Legatosque ab iisdem recipiunt, ut de jure obsignandi, cui competat, legato aut quodam ex suis comitibus moriente, quæstio incidere possit. Hac in quæstione caute est distinguendum inter id, quod consuetudine invaluit, & viget, & quod jura admittunt. Meum non est indagare, quid hic vel illic legatis ex generositate indulgeatur, vel expresse vel tacite; cum cuique Principi liceat de jure suo aliquid vel nihil, plus vel minus remittere; sed quam juribus suffragantibus potestatem sibi attribuere fas sit. Legatus intuitu muneris sui est inviolabilis & sacer, atque hæc qualitas simulac admittitur in regnum quodam

dam re ipsa conceditur: quia alioquin nec pax restitui nec negotia tractari inter gentes possent. Et quia legatus personam Domini gerit: omni honoris cultu est prosequendus; ut eminens hæc dignitas & prærogativa ipsum, resque suas & comites ab omni territoriali potestate eximere videatur. Ast propterea non jurisdictione in familiam, non imperio, non alylo gaudet, b) nec est impunis nec legibus solutus: nam est in territorio alieno, c) ubi versatur tanquam advena; in quo omnes, etiam legati, quacunquæ demum prærogativa fulgeant, illud ingredientes fiunt per tempus commorationis subditi, suaque illata bona subjiçunt summæ potestati territoriali; d) nec ab illa liberat character, ut vocant, repræsentatiuus, in quibusdam tantum titulis ac ceremoniis consistens. e) Est igitur intuitu muneris minister publicus; intuitu personæ, familiæ & bonorum mobilium, privatus & subditus temporarius. Nec Principibus animus est, ulla ratione infringendi alterius jura territorialia per legatos missos; infringentur vero, si ingressu ejusmodi legati jurisdictionem in familiam & res expostulantis, aliquid eximeretur; cum antea nihil in territorio fuerit exemptum. Princeps e contrario admittens legatum non plus ipsi concessisse præsumitur, quam jura exigunt. Hæc ad obsignationem applicantes principia, Principi & territorii Domino obsignationem, ceu jus pacis, quæ jura in legatum salva manent, vindicabunt; ut adeo a magistratibus competentibus in bonis legati, aut ipsius comitum peragatur, sub custodiaque publica territoriali in tuto illa sint collocanda. Quæ hisce principiis ob-
 stare

Aræ videntur, ubi Principes plura ratione personæ æque ac bonorum largiuntur jura, ad praxin & generositatem mutuam referenda, atque hæcce principia non evertunt. Si quis vero ea velit extendere ad Legatos ministrosque Imperatoris cum Statibus singulis de foederibus, negotiis circuli & particularibus agentes, aut in negotiis publicis animos Statuum præparantes, quo illis, cum in Comitibus proposita sunt ex voto Imperatoris accedant: vereor ne illi merito irreverentiæ dica scribatur, ipsique rationes non spernendæ, imprimis vero regulæ prudentiæ refragentur. Interim tanquam problema juris publici exercitii gratia id ventilari, nihil vetabit; cum ab una parte Majestas mittentis ceu superioris, ab altera vero superioritas territorialis & quod agatur cum statibus non ut subditis & inferioribus in hisce negotiis, materiam disputandi præbeat.

- a) Hoc jus Status ab antiquo obtinent & vi *Capitul. Arr. XXIII.* ad Imperatorem ipsum mittere possunt. *KVL- RIVS* hancce materiam fufius exposuit: *de legatis Statuum Imperii.*
- b) hæc jura ipse *GROTIUS Lib. II. Cap. 18. §. 8. juris belli & pacis* denegat, nisi ex concessione Domini territorialis eam exercent.
- c) alia plane opinione *GROTIUS cit. loco* est imbutus, qui variis rationibus probari nititur, legatos esse domum remittendos, nullisque nec delictis nec contractibus teneri: ast *COCCEJI in Diss. de legato sancto non impuni Cap. II.* solidis fundamentis exemplisque ex omni historiarum ævo petitis contrarium evicit & *cap. III.* rationes *GRO- TII* refutavit.
- d) hæcce principia egregie stabilivit fufiusque deduxit *COC- CEJI in diss. de fundata in territorio & plurimum locorum concur-*

rente potestate Tit. II. §. 1. §. 10. ut corruat sententia
GROTII l. c. §. 9. de bonis legatorum, cui MULLENVS
quoque in *Diff. de prim. ordinis Legatis est additus Sect.*
V. §. 9.

- e) Legato 1) titulum Excellentiae 2) vifitationem noviffi-
me advenientis, 3) locum potiorem apud vifitatum, &
4) jus infidendi fellis cum brachiis tribuit tantam:
conf. HORN. juris publ. Cap. 61. §. 27. p. m. 754.

§. VI.

In Comitibus

Legati Statuum Imperii in Comitibus congregati
sunt, ut negotia publica tractent. Hæc Comitibus in ci-
vitate imperiali libera regulariter habentur. Civitates
Imperii Statuum Imperii numero comprehenduntur
& superioritate territoriali fruuntur; a) ut proinde ea-
dem jura territorialia in territorii sui advenas ac Prin-
cipes sibi arrogare non vereantur. Hac imbutæ per-
suasione sese acriter jurisdictioni Vice-Mareschalli Im-
perii in Legatos, Legatorumque res & comites exer-
cendæ in Comitibus quoque opposuerunt, b) usque dum
ao. 1614. per Commissarios Cæsareos, Ducem Bavarizæ
& Wurtembergæ, transactio inter civitates Imperii &
Vice-Mareschallum inita, qua jurisdictio in Legatos
eorumque comites Vice-Mareschallo est relicta; c) ut
hodie in omnes personas urbi homagio haud obtri-
ctas jurisdictionem exerceat, in specie vero res & acta
legatorum ipsis animam efflantibus, obfignet, & alia
jurisdictioni adscribenda peragat. d) Annotamus igitur,
urbes Imperii hæc jura in Legatos sibi attribuerent
esse aufas, eaque nequidem eo tempore neglexisse, ubi
superioritas nondum satis erat stabilita; per expressum
demum pactum autem a jurisdictione sibi arrogata ab-
stitisse

fuiffe: ut adeo regulæ de jure territorii inhaerere vo-
luerint. Vice-Mareschallo vero, cum Imperium in
comitiis unum corpus constituat, ut semper ordo vi-
geat, omnesque turbæ evitentur, ab Imperatore e)
non immerito sunt adscripta hæc jura, atque propu-
gnantur ab illo tanquam pactis & observantia parta.
Status quidem præpotentes suis Legatis jurisdictionem
in comites & domesticos suos vindicant, & pro-
pterea jurisdictionem, & in specie obfignationem re-
rum hereditariarum Vice-Mareschalli non admittere,
sed in dubium hoc jus vocare tentarunt, f) illo defun-
cti Secretarii Limbachii Hanoverani hereditatem obfignante,
omnem vim pacto memorato de ao. 1614. de-
trahere conantes, illudque nec ad comites nec Secretarios
Legatorum porrigendum esse, asserentes. At hæc
lis me non tangit: sufficit enim demonstrasse, ci-
vitates Imperii regulæ insistentes in ipsis comitiis jura
hæc territorii defendisse, Imperatoris vero auctoritate
& Archimareschalli reverentia ductas transegisse; ut his
pactis suffultus Vice-Mareschallus acta & res legato-
rum, comitumque legationis obfignet.

a) Hanc eis tribuit *Instr. P. W. Art. 8. §. 4.* & earum jura
territorialia vindicavit MENKENIVS in *Diss. de territorio
clauso civitatum Imperii.*

b) Hæc controversia inter civitates Imperii & Archi-
Marschallum sæculo XVI. non sine fervore erat agita-
ta, ut tandem Augustæ Vindelicorum Decreto RVDOL-
PHVS II. ao. 1582. 17. Sept. decidere eam annis sit. Hoc
decreto officio Mareschalli inter alia jurisdictionem quo-
que in Legatos, adeoque pariter jus obfignandi, ad-
judicavit; sed civitas illa Augustana hoc decreto gra-
vata, una cum reliquis Imperii liberis civitatibus con-

traditionem & provocationem interposuit, ubi inter alia hæc verba continentur: Eßlich wird durch bemelt Decret einem Erborn Rath allhier die Jurisdiction über die fremden durchaus ganz unbillig entzogen: Denn sie die bey allen Reichs-Tagen ruhig gehabt, hergebracht und von der Kayserl. Maj. auch den Churfürsten stättlich dociret haben. Denn daß die Kayserl. Maj. denen Städten solche Jurisdiction nimmit zc. zc. Qui sub voce fremdden comprehendantur, patet ex decreto jam adducto Casareo, quo jurisdictionem adjudicaverat Marechalco: Sich der Jurisdiction über die fremdden zu reisenden sonderlich aber ankommende ausländische Postschaften, Herrn und Adels-Personen, wenn sie gleich zum Reichs-Tag nicht erfordert seyn, anmassen sollte. Decretum Casareum æque ac provocatio exhibetur in LIMNÆI *Juri. publ. Additam. ad L. IX. Cap. I. p. m. 407. sqq.*

- c) hanc transactionem inseruit LIMNÆVS in *Jure publ. Tom. III. L. IX. Cap. IX. n. 85. & LONDORP. Act. publ. Tom. I. 162.*
- d) pluribus hæc jura exposuit STRUVIUS in *Diff. de Officiis Imperii Saxonici. ubi Sect. II. de officio Archiepiscopi in Imperio agit & in specie de jurisdictione §. XIII.*
- e) olim enim Imperatorem jurisdictionem in legatos & peregrinos & Status ad comitia accedentes sibi tribuisse, & ex mandato Casareo eandem Marechallum obtinuisse, elucescit ex Decreto RVDOLPHI de æo. 1582. ubi inter alia dicitur: Endlich die Jurisdiction über die fremden belangend, sintemahl dieselbe insgemein der Kayserl. Majest. wo sie in eine Reichs-Stadt einzeucht, alleine und wenn sie solche befehlen geführet zc. zc. porro paucis lineis interpositis: Daß die Jurisdiction über fremdde dem Reichs-Marschallen an stat und wegen der Kayserl. Maj. zustehen soll.
- f) *Fundamenta Saxonica tradidit autor des Europäischen Herolds P. I. p. 337. sq. simulque affirmat, legatos Statuum Imperii Marechalli jurisdictionem detrectantes, mortuo*

mortuo nihilominus quodam Legato indicasse mortem,
ut obsignatio a Marefchallo fufciperetur.

§. VII.

Sæpius contingit, ut Status quidam Imperii per *Status Im-*
alterius Status tranfeant territorium, aut per aliquod *perii in alt-*
temporis intervallum in illo commorentur. Evenire *eno territo-*
hinc facile potest, ut non nemo Comitum itineris e *vio.*
vivis migret & obfignatio hereditatis mobiliaris lo-
cum inveniat; quia cum insigni pompa proficiscuntur
nobilibus, ministris, domesticis famulisque haud pau-
cis ftipati. E dignitate utique est summorum Princi-
pum, ut ultro & in venerationem tanti fastigii Prin-
cipibus peregrinis & hospitibus varia indulgeant, &
hospitatitatis comitatisque potius officiis quam rigi-
dæ potestatis affectatione in eos certent. Videntur
Principes ubique suam dignitatem in omnia territoria
circumferre, & ab omni subjectione ingressu in terri-
torium abhorrere; comites vero & familia ipsorum,
ipsos Dominos & iudices suos unice suspiciunt, nec se
nec res suas mobiles alii subjiçendi habent animum
dominos sequentes. Sic quantum memini Serenissi-
mo Duce Saxo-Coburgo-Meiningensi Domino ANTO-
NIO VLKICO, cui olim mihi contigit esse ab epistolis,
per aliquot annos Viennæ & postmodum Francofurti
ad Mœnum degente, & quibusdam ex familia utro-
que loco ipsi morte ereptis, nullus magistratus obfi-
gnationi sese ingessit; sed laudatus Dux in suam custo-
diam res relictas recepit haud impeditus aut interpel-
latus: Tanta enim in Principes est reverentia, ut ipso-
rum ædes a iudicibus jurisdictionis exercendæ gratia

vix adeantur; nam defuncti illi in iisdem cum Duce habitaverant ædibus. Interim hæc indulgentia humanitatis officiis est accensenda, cum generositatis conjuncta laude. At rem æqua judicii lance ponderans, oppositas rationes graviores deprehendet pro vindicando obsignationis jure territorii domino. Uti jam sæpius monitum obsignatio est effectus summi imperii, sed facillioris executionis gratia jurisdictioni est sociata: Hoc summum imperium intra fines proprii continetur territorii: extra fines ejus princeps pro privato reputatur; ut nullam potestatem in suam familiam ejusque res, quamdiu in alieno territorio sunt, possit sibi arrogare: nec dependet ab animo, quem quis dominum agnoscere, velit; nam ingressione in territorium alia mens declaratur, nec voluntas privatorum jus publicum potest intervertere: quin potius territorii dominus fundatam potestatem habeat in personas & res intra sui territorii fines conclusas, adeoque & in Principes, eorum comites & res: inde prono alveo fluit, quod territorii dominus facultate polleat omnes actus summi imperii, jurisdictionis contentiosæ & voluntariæ a) & ex his deducendum jus obsignationis sibi vindicandi; nisi forsitan per actum, consuetudinem, aut servitutem juris publici aliud sit introductum. b) His fundamentis superstruere licet pariter decisionem, si Princeps in alieno territorio vitam clauderet, & ejus ministri obsignationem rerumque custodiam sibi arrogarent. Principe enim ingressione in alienum territorium personam Imperantis exuente, quis quæso ministris domesticisque jus & potestatem hanc attribueret?

Hi

Hi multo magis sunt privati, quibus sese territorii domino opponere haud integrum est: juramentum defuncto præstitum expiravit morte, & demandatum manus nullam potestatem auctoritatemque publicam extra territorii limites producit. Hæc mihi in memoriam revocant, quæ Serenissimo Duce Saxo Coburgo-Meiningensi Francofurti ao. 1746. gravi morbo correpto, deque sanitate recuperanda desperante, gesta sunt. Laude illa non est defraudandus hic Serenissimus Dux, quod omnes prærogativas Ducali culmini annexas, omniaque jura ad amissim, pro sua qua inter Principes eminet eruditione, cognita perspectaque habeat, in iisque defendendis vigilantissimus semper exiterit; interim tamen res suas obsignationi Magistratus non subtrahi posse ratus juris obtentu, ad humanitatis officia convolvavit, petens a Magistratu Francofurtensi, ut, ipso e vivorum consortio exempto, res suas ab obsignatione excipi, sub custodiaque juramenti fide addictorum ipsi domesticorum relinqui pateretur; quibus etiam annuit tandem Magistratus, per Scabinum Serenissimum Ducem de eo certiore faciens, sed depulso demum feliciter vitæ periculo.

- a) *conf. GLAFEY Dissert. de voluntaria jurisdictione extra territorium non exercenda §. 20. 21.*
 b) *conf. COCCEJI Dissert. sapius laudata de fundata in territorio potestate &c. Tit. II. §. 12.*

§. VIII.

Principia ad Status erga se invicem applicata multo magis accommodari & decisionis suggerere normam queunt in viduis Principum dotalio fruentibus. a) Prin-

Prin-

Princeps innupta ante matrimonium non gavisa est superioritate territoriali, sed fuit pars familiae Principis ex cujus domo est oriunda, ejusque sub territorio. Post contractum matrimonium transit in aliud territorium, in aliamque familiam, & marito diem obeunte supremum, in territorio & pars familiae Principis manet regnantis tanquam capitis. b) Haecce praerogativa in familiam Principibus superioritate instructis territoriali non privata tantum, sed pleraque imperii sublimia jura impertitur, quae in statu naturali patribus familias competunt, c) nisi restrictio & moderatio ex legibus Imperii doceatur. Quando igitur viduae dotalitium conceditur; illa in eo nec jura territorii, nec jurisdictionem in illas terras aut quam alit familiam sibi attribuere potest, nisi subordinata potestate, cujus limites ad formulam concessionis sunt exigendi: d) unde facile de obsignationis quoque jure, jurisdictioni cohaerente, ferri potest judicium. Ipsa vidua autem animam efflante, ipsius res sunt in territorio, & ad Principis & capitis familiae custodiam spectant; quare etiam illi obsignationis jus haud potest reddi dubium. Sic etiam Serenissimus Dux Saxo-Coburgo-Meiningensis Dominus ANTONIVS VLRICVS, haec jura sibi vindicavit, vidua Serenissimi fratris ERNESTI LYDOVICI, ELISABETHA SOPHIA, ex gente Brandenburgica orta, ao. 1748. supremum vale dicente. Ad ipsius hereditatem duo competitores adspirabant; ut obsignatio necessaria visa. Quamvis vero in arce Roemhildensi communi (Serenissimus Dux Meiningensis & Salfeldensis in terris Roemhildensibus sunt condomini) vitam clau-

clauferit: attamen Dux Meiningensis tanquam caput familiae sibi obsignationem merito arrogavit, nec Dux Salfeldensis, quantum constat obsignationi sese ingessit, ad laudabilem consuetudinem forsitan simul respiciens inter Saxoniae Duces, qua jurisdictionem in se invicem non affectant. e)

a) De juribus Dotalitii principia tradidit COCCÉJI in *prudentia juris publ. Cap. 28. §. 10. §§.*

b) Ambigitur quidem a nonnullis Juris publici doctoribus de jurisdictione Principis in uxorem, viduam & appa-
magatos, uti inter casus dubios hæc refert STRUVIUS in *Syntagma Juris publ. Cap. 26. §. 59.* quamvis exemplum jurisdictionis criminalis LUDOVICI Comitis Palatini in MARIAM Conjugem exercitæ simul adducat. Verum enim vero feminas illustres in territorio subditorum numero habendas & territoriali juri subjacere, asserit TITIVS in *specimine Juris publ. L. IV. Cap. 9. §. 3.* & COCCÉJI in *Dissert. plus simpliciter citata vice de fundatu in territorio potestate &c.*

c) In republica patribus familiae relinquitur potestas dirigendi actiones familiae membrorum ad societatis finem, acquisitionem videlicet rerum ad sustentandam beatiorumque familiam reddendam necessariorum; sed sine imperio, sine jurisdictione. Extra Rempublicam vero Caput familiae constitutum, non familiam tantum, prout id commodissimum visum, instituere, quod cujusque in familia sit officium præcipere, & ad rationes reddendas compellere potest; sed ipsi quoque licet leges ferre, supplicia de fontibus sumere, cædera in salutem familiae cum aliis pangere, bellum pro familia gerere & pacem facere &c. *Conf. HEINECC. Element. Juris Nat. L. II. Cap. V. §. 91-93.*

d) *Conf. Syntagma juris Publ. STRUVII Cap. 27. §. 24.*

e) *Conf. SCHILTERVS in Praxi juris Rom. Exercitai. ad ff. XIII. §. 28. vbi tradit, possessionem rerum immobilium*

in alterius territorio subjectionem non producere inter Duces Saxoniae lineae Albertinae & Ernestinae, nec illos sibi invicem propterea homagium praestare nec forum fortiri.

§. IX.

Condomini.

Si plures Principes indivisim concurrunt ad superioritatem exercendam, oritur inde condominium territoriale. Et quia pars illius tantum propria est cuique: quilibet cum exclusione condomini aliquid agens in alieno territorio quasi versari & sibi aliquid arrogare videtur. Obsignatio est effectus summi imperii cohaerens jurisdictioni; jam vero, jurisdictione, quia nulli condomino in solidum competit, nec quis solus eam exercere potest: immo etiam si uni soli competeret, non tamen sine ceteris illam posset administrare: quia praesudicium ipsis fieret honoris respectu: nam imperare, jus dicere &c. honor est. a) Quae cum ita sint, ceteris condominiumis contemtis, in tali administratione non posset non fieri praesudicium; si unus ex illis in se solum derivaret condominiumis exercitium. Nec refert aequales partes sint, an inaequales: singuli enim nihilominus sunt condomini, singulisque ideo condominiumis exercitium permixtum est; non minus ei qui minorem, quam qui majorem partem pro in diviso habet. b) Si itaque patris nihil definitum, aut illis casus haud est comprehensus, ad jus commune recurritur, regulasque communionis privatae. c) Exinde concluditur condominium nullum posse sine consensu reliquorum obsignationem peragere; etiam si dum commune jus exercet, suum quoque jus exercent: tantum abest ut prohibere queat,
quo

quo minus condominus sigilla sua pariter adponat, aut ut liceat alterius condomini sigilla detrahere. His præstruētis eluceſcit, Sereniſſimum Ducem Saxo-Coburgo-Meiningenſem, Sereniſſimum Ducem Salfeldenſem non potuiſſe arcere a ſimultanea obſignatione in caſu ſuperiore ſo propoſito; niſi ipſum ceu caput familiæ Meiningenſis hæc prærogativa decuiſſet. Lucem his affundit quoque praxis, quam olim Meiningæ obſervavi, mortuo ao. 1743. Duce Sereniſſimo CAROLO FRIEDERICO, Condomino, cujus hereditatem ipſius ſoror Sereniſſima Dux Gothana ab inteſtato ſibi vindicabat, mobilia Gotham transportari curans. Dux Corregens b. m. FRIEDERICVS WILHELMVS, tunc Corregens, partibus Gothanis erat addiſtus, ipſiusque auſpiciis obſignabatur per Notarium camera quædam in arce vetere, ut appellant, ubi nonnulla ſupellex erat recondita, quæ ad hereditatem modo dictam ſpectare dicebatur: quia clavis ad eam erat aulæorum curam gerenti concedita, qui eandem niſi ab utroque corregente Duce juſſus aperire abnuebat. Hac re ad Deputatos Sereniſſimi Domini ANTONII VLRICI Corregentis delata, per eum qui erat a ſecretioribus epiſtolis, ſigillum ſui Domini jam memorati adponebatur, nec quiſquam contrahere, illud infringere aut ladere auſus eſt.

a) *p. l. f. C. quando provoc. non eſt permiſſ. & c. 59. X. de appell. Conf. FELTMANNI Diſſert. de Condominio territoriali Cap. 7. §. 10. & Cap. 9. §. 8.*

b) *Conf. FELTMANNI cit. Diſſ. Cap. 7. §. II.*

c) *Conf. HERTIVS in Elementis Prudent. civ. P. II. Sect. 17. §. 2. & 3. ubi improbat ejuſmodi communiones, autorque eſt, ad præſcindandas lites, omnia accuratis legibus*

esse definienda: ait LEYSERVS in *Meditation. ad ff. Vol. 2. Spec. 80. Med. 10.* ostendit, quod pactis omnes præcaveri lites communionis, imperfectio humana haud patitur, & ex quo fonte decisio earum petenda sit. *Conf.* quoque LYNKERVS in *Dissert. de superioritate territoriali p. 35.* ubi de communione superioritatis nonnulla adspicit.

§. X.

Confraternitas an tribuat jus obsequiandi?

Confraternitates unionesque hereditariæ inter Statum Imperii non sunt infrequentes; a) præcipue vero celebratur illa, qua Domus Saxonica, Brandenburgica & Hassiaca inter se junctæ. b) Hæcce producit insignes quosdam effectus, nimirum jus mutuae successionis, & defensionis, investituram simultaneam, jus aperturæ in alterius castris & fortalitiis, eventuale homagium omnium subditorum & vassallorum, compellationem alterius ministrorum nomine fidelium, mentionemque in precibus publicis &c. c) ut quasi condomini videantur confraternitatis vinculo sociati: dum, si introeunt in sua invicem territoria, versantur inter homines, qui ipsis omnes homagii religione sunt devincti; adeoque an jus obsequiandi sibi tribuere possent in illis, dubium forsan nascitur. Verum, quia omnia hæc jura indulta sunt in securitatem futuræ successionis, condominium eventuale tantum, non exercitium simultaneum superioritatis, non jurisdictionis producere possunt. Cum enim territoria sint divisa, & exercitium proinde jurium cujusque territorii proprios limites per divisionem natum sit, intra quos quilibet Princeps se continere debet; quilibet eorum postulat jura sui territorii facta tecta servari, & in societatem quandam regiminis confraternitatis

tarnitatis vinculo junctum admittere recusabit: Itaque hocce pactum nec jus obfignandi bona fuæ familiæ in territorio alterius operabitur.

a) Objectiones contra confraternitates & pacta fuccefforia illuftrium, refponfionemque collegit LIMNÆVS in *J. P. Lib. IV. Cap. 8. n. 126. fqq.* & STRYKIVS de *fucceff. ab interf. Diff. 8. Cap. 7.*

c) Pacta & confirmationes quasdam hujus confraternitatis exhibet LYMNÆVS *J. Publ. Lib. 4. Cap. 8. n. 161. & in Addit. ad cit. loc.* Historiam horum pactorum STRUVIVS in *Syntagm. Juris publ. Cap. 27. §. 19 & 20.* folennitatem vero, qua hæc pacta juramento a compacificentibus funt roborata, MVLLERVS in *Annal. Sax. p. 195. fqq. it. 273.* Ne Archiepifcopali fedi Moguntinæ hæc pacta confraternitatis in præjudicium vergant, privilegio falfavatorio Imperator Adolphus ao. 1400 cavit, uti tradit *autor des Europäifchen Herolds, T. I. p. 265.* & STRUV. in *fyntagm. J. P. 17. §. 5.*

c) *Conf. GLAFEY Kern der Gefchichte des Hauses Sachfen Cap. 1. §. 19. p. m. 73.*

§. XI.

De fervitutibus juris publici quæftio quoque eft *fervitutes J.* excutienda, a) an tribuant jus obfignandi, quia funt *re-publ. & jur* gاليا fmgula & jura particularia, quæ falva manente *Wildfangia-* prioritate in alieno exercentur territorio. *rus.* Res eo re-
dit. Obfignationis jus adhæret ex Germaniæ moribus jurisdictioni civili, unde in qualibet harum fervitutum fpecie tantum eft refpiciendum, an hanc fub fe comprehendant aut involvant: nam uti fervitutes funt reftringendæ, ne libertatem naturalem; ita hæ, ne fuperioritatem territorialem coarctent aut imminuant. b) Jurisdicctio ipfa omnesque ejus fpecies poffunt competere in alieno territorio tanquam fervitutes juris publi-

ci, & tunc jurisdictioni civili obsignatio solet vindicari. Inter servitutes ejusmodi eminent jus Wildfangiatus, quod acquisivit Elector Palatinus in plurium Statuum ad Rhenum territoris, v^l cujus Præfectos, die *Musfau*the, constituit, qui ibi adventitios eorumque descendentes in numerum hominum propriorum seu Wildfangorum per juramentum recipiunt, & præter varia alia jura jus mortuarii & jus succedendi in vacantibus bonis Wildfangorum exercent; c) ut videatur Electoris multum interesse, per obsignationem præcaveri, ne defraudetur. Ast nec jurisdictionem, nec jus obsignandi illi esse tribuendum, constat ex verbis laudi Heilbrunnensis, quo omnes coortæ de jure Wildfangiatus inter status controversiæ sunt compositi: d) illis enim non tantum cavetur, ne servitutem hanc patientibus in superioritate territoriali præjudicetur, sed excipiuntur expresse & nominatenus omnia jura, quæ Elector Palatinus se sibi sub hoc prætextu arrogaturum esse negat; inter quæ jurisdictio & in specie jurisdictio in hereditate cernenda refertur. Interim cum in nonnullis territoriis per conventiones & transactiones, tanquam a regula exceptiones, ultra laudi tenorem sint aucta jura Wildfangiatus; exempla non deficiunt, ubi Electori Palatino jus obsignandi bona Wildfangorum attribuendum, ubi nimirum jurisdictio, inventariique confessio reservata est. e)

a) De servitutibus juris publ. speciali tractatu egit ENGELBRECHT. *Helmsf.* 1715. *Conf. STRUV. Syntagn. juris publ. Cap. 26. §. 6.*

b) per *L. 24. ff. de Servit. P. R. §. L. 10. §. 1. ff. quemadm. serv.*

serv. amitt. conf., LAVTERBACHII *Collegium theoretico-pract.*

L. VIII. §. 20. n. 2.

c) Hoc jus ab antiquo competiit, sed per Maximil. I. privilegium confirmatum, quod exhibetur in *justitia causa Palatina cap. 3.* Effectus hujus juris in territorio & extra illud enumerat STRUVIUS in *Synagm. jur. publ. cap. 17. §. 37.* Ad nostrum objectum spectant effectus in alienis territoriis, quos HILDEBRANDVS exposuit in *Dissert. de jure Wildfangiatus Cap. II.*

d) Cum enim post pacem Westphalicam ab Eminentissimis Electoribus Moguntino, Trevirensi, Colonienfi, ab Episcopis Spirensi & Argentoratensi, a Duce Lotharingæ &c. Palatino plures essent motæ controversiæ, ut hæc res ad bellum spectaret: ejus compositio per Cæsaris & Brandenburgicos legatos Spiræ primum est tentata; sed sine successu. Deinde vero a Regibus Galliæ & Suciæ arbitris ad. 1667. sunt illæ tandem definitæ & decisa. *Conf. STRUVIUS in Corpore Hist. Germ. Per. X. Sect. XI. §. 15. p. m. 375.*

d) Verba laudi HEILBRUNNENSIS inserta sunt citatæ *Diss. de jure Wildfang. Cap. 2. §. II. LONDORP, in Contin. act. publ. L. 10. Cap. 126. p. 486. sqq.*

e) De hac exceptione *conf. cit. Diss. Cap. 2. §. 10.*

§. XII.

Servitutibus juris publici annumerari quoque potest jus cursus publici seu postarum, quod partim auctoritate Cæsarea a Principe Tassensi partim a Statibus ipsis in alienis quoque territoriis exercetur: a) Hoc jus sub suo ambitu complectitur facultatem cursus publicos ordinandi, magistros, scribas cursoresque constituendi, de ipsorum delictis circa officia cognoscendi, & jurisdictionem quandam & decisionem in causis postarum sibi vindicandi. Plerumque vero in alieno territorio nequidem tam late patet, varieque restrictum est.

est. b) Interim quanta maxima sit ejus amplitudo, comprehendit tantum particularem de causis postarum jurisdictionis speciem, & intra hos limites sedulo & circumspice est coërcenda; minime vero impertitur jurisdictionem civilem, adeo, ut jus obsignandi hereditates magistrorum cursus publici variorumque ejus administratorum domino territoriali maneat illibatam; sunt enim subditi territorii, in causis postarum unice a summa potestate exempti. Nihilominus per pacta postarum jura quoque ampliari aut aedes postarum a superioritate territoriali liberari posse, non diffitemur: & tunc, si postarum administri plane non subsunt domino territorii, in ædibusque liberis decedunt, nec magistratus loci obsignationem appetent.

a) Sic Hamburgi a V. Statibus, ni fallor, cursus publici instituti & Francofurti ad Moenum Hassiaci & Colonienfis præter Cæsareum subsistunt: immo hic loci Saxones eum exercuerunt. Quæ controversia sit agitata de jure Statuum postas uti dicunt erigendi, constat ex J. publ. autoribus. Varia huc facienda communicavit autor der gegenwärtigen Verfassung der Kayserl. Regierung in Deutschland in Appendice Document. ad Art. 29. Capit. Car. VI. p. 580. 599. & conferri merentur *Crist. LEONHARDI Miscellanea & Collectanea juris publici curiosa de regali postarum jure Lips. 1710.*

b) *Conf. WILDVOGELIVS in Dissert. de jure Principis eminenti circa postas §. 21. sq. it. Samuel COCEJVS de Regali Postarum jure, & STRUV. Synt. J. P. Cap. 26. §. 73.* In postas singulari gaudet auctoritate Eminent. Elector Moguntinus tanquam Protector & Director postarum Cæsarearum, unde & ad aulam ipsius quaestiones postarum ambiguae ad decisionem deferuntur. *conf. Autor des Europäischen Herolds P. I. p. 291.*

§. XIII.

Quoniam jure sublimi territorii via publica quoque con- *Jus condu-*
 tinentur, tanquam pars territorii, illaque necessariae sunt, ne *condi.*
 corruat alioquin omne commercii vinculum sine publica hac
 se invicem adeundi licentia a) & ideo securitas praestanda est
 transeuntibus: turbulentis illis medii aevi temporibus jus
 conducendi est enatum. Hoc si in alieno territorio compe-
 tit, exoritur servitus juris publici, quae complectitur faculta-
 tem securitatem praestandi transeuntibus personis & merci-
 bus per vias publicas, certum determinatumque portorium
 exigendi, id non solventes defraudantesque multandi, secu-
 ritatis publicae infestatores aut turbatores indagandi, conqui-
 rendi & persequendi, variosque administratos, publicanos &
 equites praeficiendi & constituendi. Hi juris conducendi
 ministri intuitu sui officii Domino juris conducendi subsunt
 & rationem reddere congruntur: in hoc enim consistit ser-
 vitus, ut libertas territorii seu superioritas aliquid patiatur &
 aliquantulum accidatur: aut intuitu aliorum actuum, suarum
 personarum rerumque sunt subditi, subiecti territoriali pote-
 stati tanquam privati in territorio comprehensi: adeoque re-
 cognoscunt Dominum territorii Principem, ejusque jurisdic-
 tionem excutere, aut jus obsequandi bona sua judici loci de-
 negare nequeunt. Nam juris conducendi finis minime ten-
 dit ad summum imperium aut jurisdictionem acquirendam,
 uti ex commemoratis effectibus in oculos incurrit; nec
 concessa una regalium specie aliae concessae videntur b)

a) Conf. COCCESI Dissert. de regali viarum publicarum jure §. 9. 10. 15. 16.

b) per c. ult. X. de officio judicis delegati.

§. XIV.

Dominium directum competens in feudo alieni territo- *Dominium*
 rii servitutibus juris publici quoque accenseri potest: quia *directum.*
 causas feudales superioritati territoriali detrahit diducendas,
 & hinc quaestio nascitur de jure obsequandi in feudo; pra-
 ecipue ubi vasallus per homagium fit simul domini directi sub-
 ditus. Causae feudales sunt, quando de juribus Domini di-
 recti in relatione ad vasallum, aut vasalli in relatione ad do-
 minum

minum, aut de convasallorum mutua obligatione ex qualitate feudali quaeritur. a) Haec fundant tantum jurisdictionem feudalem: ceterum est limitata, jurisdictioni generali ordinaria super inducta, stricti juris, ultra casus expressos non extendenda, neque si cum ordinaria generali jurisdictione comparetur, favorabilis, sed odiosa & coercenda. Obsignationem igitur rerum mobilium in feudo a vasallo relictarum causis feudilibus nemo annumerabit, nisi iudici ordinario a territorii domino constituto, jurisdictionem & potestatem in omnes res in territorium illatas, in eoque sitas vellet denegare. Tribuitur eo securius territorii domino obsignandi jus, cum ipsi missio ex L. f. C. de Edict. div. Hadriani tollend. actiones hypothecariae omnesque possessoriae vindicentur. b) Praeterea obsignantur res tantum mobiles, quae regulariter rerum allodialium numero habentur, feudique vinculo non afficiuntur, uti fructus percepti, c) res utensiles, aliaque supellex, nisi forsan ad perpetuum feudi usum sit destinata; quamvis nec deficiant juris feudalis doctores, qui nequidem haec propterea allodialium numero eximi, defendere satagunt. d)

a) H. F. 15. 34. 37. 55. §. f. conf. MENKENIUS in Dissert. de vi superioritatis territorialis in territoriis imperii clausis & discernendo ab eadem iudicia feudali &c. §. 40.

b) Praejudicia varia suggeruntur in cit. Dissert.

c) Conf. HORNIVS in jurisprudentia feudali cap. 16. §. 29.

d) Conf. SCHRADERI tract. feud. II. P. 9. Part. Sect. 4. qu. 3. n. 6. 7. 8.

§. XV.

*ius eccl.
saecular.*

Post pacem Westphalicam casus quoque emergere possunt, ubi ex iure sacro competit obsignatio in alieno territorio. Cum enim illa pace jus sacrum Pontificis Romani & jus dioecesanum Episcoporum Catholicae religioni additorum in Protestantium territoriis sit suspensum ad amicabilem usque compositionem; interim tamen ratione exercitii religionis & jurisdictionis ecclesasticae annus 1624. normam vicem sustineat: non deficiunt casus ubi Antistes Catholici Romani eo anno jurisdictione & lege dioecesana in clericos catholicos

thollicos in territorio Protestantium gavisum sunt, & propterea porro fruuntur. a) Protestantium igitur jus territoriale & superioritas hoc statu possessionis ita restringitur, ut in ejus præjudicium nihil in clericos sibi possint vindicare. Jam vero obsignationis jus competit judici domicilii, si plures jurisdictionis species præcipue concurrunt, qui in clericis est iudex ecclesiasticus: Quare obsignatio Episcopo aut ejus iudici subordinato a territorio domino non videtur posse in controversiam vocari. Hoc igitur locum haberet, si ab Episcopo omnis jurisdictio in clericos per possessionem esset parta longissimam. Alioquin enim annus decretorius tribueret tantum jurisdictionem ecclesiasticam in clericos, in causis nimirum ecclesiasticis. Quia igitur obsignatio esset causa civilis; annus decretorius ad hanc probabiliter haud posset extendi. Ast majoribus forsitan involuta esset difficultatibus decisis, si de clerici transeuntis per territorium hereditate obsignanda quaestio esset. Clerici catholici clericalem dignitatem, quam territorii dominis haud acceptam referunt, ubique circumferunt. Fridericus II. noluit b) & Pontifex Romanos vetuit, c) ne jurisdictioni seculari subiciantur; immo renunciatio ipsorum fori ecclesiastici irrita declaratur: d) res vero mobiles, quas secum tulerunt, ossibus defuncti quasi adherere dicuntur, minimeque fundant forum saeculare. Quia igitur obsignatio ab illo iudice est peragenda, cui persona defuncti fuit subjecta: f) Episcopo vi juris dicecesani (in latiori significato, quatenus jurisdictionem complectitur, sumti g) non domino territorii ea est tribuenda. Hoc ita in territorio catholico procedit sine dubio, quia omnia adducta principia ibidem adoptantur & Principes catholici jurisdictionis & imperii in clericos incapaces censentur. h) Quod vero ad territoria protestantium attinet, nec Status Imperii obsignationem sibi posset attribuere; si ejusmodi catholicus clericus advena forsitan obiret in loco exempto superioritati & jurisdictioni per annum decretorium aut alia pacta, uti forsitan dantur ædes exemptæ clericales quibusdam in urbibus: hanc enim exemptionem dominus territorii tanquam

quam servitutem ferre necesse habet. Verum enim vero si in loco moretur clericus tali privilegio haud munito; vereor, ne magistratus secularis domini territorialis auspiciis jus dicens clerici adventu, ceu subditi temporarii, bona a se ob signanda, annuumque decretorium ad causas civiles, qualis ob signatio est, non porrigendum, praetereaque illum jus dioecesanum ad clericos & subditos in territorio habitantes restringere i) sibi persuadeat: nam principia de exemptione clericorum apud Protestantes exulant, illique se jurisdictione in clericos haud exuunt. Interim haec non deducere in praesentiarum sed dissertationi potius juvat colophonem imponere.

a) per J. P. VI^{tes}. Art. V. §. 14-19. 48. Conf. BOEHMERI *Instit. Jur. Can.* L. I. Tit. I. §. 32. & Tit. 31. §. 11, it. ejusdem *Jus Eccl. Prot.* Tom. I. L. I. T. 31. §. 74. sgg. Dantur etiam casus, ubi jurisdictionem ecclesiasticam Protestantes in alieno territorio exercere, uti e. g. in Comitatu Solmensi jus sacrorum Hassiae Landgraviis est concessum. Conf. STRUV. *Syntagm. Juris. publ.* Cap. 26. §. 26.

b) per *authent.* statuumus C. de episcopis & clericis.

c) per c. 8. & 10. X. de judiciis: conf. LETSERVS in *Med. ad ff.* Vol. 2. *Spec. 80. Med. 12. sgg.* rationem harum constitutionum Zieglerus ad Decretales ad haec loca eruit.

d) per c. 12. X. de foro compet. contra L. pen. C. de pass. & L. 51. C. de Episc. & clericis. Rationes petit Pontifex Romanus ex Canonibus Conciliorum Milevitanensis & Carthaginensis, quorum canones inter canones Synodi Carthaginensis tertiae hodie inveniuntur. Conf. ZIEGLERVS ad Decret. b. l.

e) per c. f. X. de foro compet. & c. l. de privil. in his id dubium esse de rebus immobilibus tradit BOEHM. in *Jur. Eccl. Prot.* T. I. L. 2. Tit. 2. §. 28. qui per ordinarios locorum non magistratus secularis, sed episcopus intelligendus sit. De mobilibus vero id asserit CARPZ P. III *jurispr. Confess.* des. 7. n. 3. cujus sententia passim usu recepta: uti de Saxonia & Ducatu Magdeburgico id probat BOEHMERVS l. c. §. 59.

f) conf. KNORRIVS in *Diff. de ob signatione judiciali* Cap. I. §. 6.

g) Conf. BOEHMERI *Instit. Jur. Can.* L. I. Tit. 31. §. 7. & 8.

h) per c. 10. X. de consuet.

i) uti tradit hoc principium SCHILTERVS alio in casu in *Differt. de Condominia sacro*, in *appendice, quest.* 2. p. 39.

Erfurt, Diss., 1748-51

X 238 7035

ULB Halle

3


006 771 165



VD 78







STATIO JURIDICA INAVGVRALIS,

QVA

ESTIO EXCVTITVR:

LICEAT
BSIGNARE
IENO TERRITORIO
HEREDITARIAS?

QVAM

RANTIQA ACADEMIA ERFORDIENSI

FICI JCTORVM ORDINIS
CONSENSV

PRO

RADV DOCTORIS

D. XXII. DECEMBR. A. c1515CC L.

NE PRAESIDE

DEFENDET

A V T O R

VS ERNESTVS STIELERVS,

Erfurtensis,

ECT. GYMNAS. SENAT. ADJVNCTVS.

ERFORDIAE

DANNIS CHRISTOPHORI HERINGII

ACAD. TYPOGR.